

tantum humore exinanitum, arefactumq; sed etiam rarum esse oportet, ut attritus efficacior esse possit. Terebrum pati pertinacius esse debet; qua de causa lauem faciunt; id enim pro sua acrimonia ualētius resistens, opus commodius expediat. Quin & ex thamno, ilice, tilia, & ferè plurimis id fieri solet, præterquam ex olea: quod certe absurdum putaueris: oleam enim duriorem, pinguioremq; esse constat. Sed hæc ob immodicum scilicet humorem inepta redditur ad ignitionem. Quodq; autem genus ignariorum aquilonijs flatibus ignem oxyus, magisq; concipit, austrinis minus: & locis æditis, atque sublimib; magis, quam concavis. Cœdri materies nata est humorem emittere, & in plenum omnes quibus oleosus est humor. Quamobrem deorum statuæ uisæ sunt aliquando sudasse: ex his enim condere eas consueuere. Quod autem Lucinam appellant, & sacrificijs obseruandum aruspices iubent, concreto quodam humore, extuberat, magnitudine piri, aut paùlo maius, minus' ue. Germen potissimo citat materies oleaginea cum rudis, tum saep laborata in opus, si quem humorem sentiat, locumq; habeat humectum; ut iam cardo quidam ualuæ prodatur germinasse, & poculum limo iniectum.

HISTORIAE PLANTARVM LIBRI QVINTI FINIS.

THEOPHRASTI DE HISTORIA PLANTARVM LIBER SEXTVS.

De suffruticibus, herbisq; ac frugibus: tum quæ maxima omnium generū differentia, deq; aculeatis herbis, & quod tribuli proprium: item quibus desit aculeus.

Caput I



E A R B O R I B V S atq; fruticibus dictum iam est, nunc de suffruticibus, & herbis doceamus, cōsequitur: & si qua in hisce alia genera comprehenduntur, illa quoque adnotemus oportet, ut fruges: nam hæc quocq; inter herbas deputari desiderant. Sed primum uerba de suffruticibus faciamus: id enim genus proprius ad prædicta accedit: quod nimirum surculosum assurgat. In omnibus fortè plantarum generibus, sylvestre semper urbano copiosius est, uel si id minus cæteris constet: in natura quidem suffruticum ita proculdubio esse fateri conuenit. Pars enim exigua hoc in genere urbana notatur, quæ coronarijs penè consumetur: ut rosa, uiola, Iouis flos, sansucum, elium: item serpyllum, sisymbrium, helenium, abrotонum: hæc enim omnia surculosa, minutisq; condita folijs constant, fruticesq; proinde redduntur. Item etiam in olerum genere simili ratione sentitur: exempli gratia: Radix, ruta, quæq; similia, de quibus haud minus fortè secundū propriam appellationem dixisse conueniet, cum mentionem coronamentorum, atque olerum faciemus. Nunc de sylvestribus primum dicendum est. Horum igitur species, partesq; plures, cum singulis generibus, tum totis speciebus existunt, quas utique discernamus oportet. Sed maximam cunctorum generum acceperis differētiam, quod alia sine aculeo, alia aculeata. Etrursum in eorum utroq; permulta generum, specierumq; discrimina constant, de quibus iam referre tentandum est. Ergo aculeatorum alia ex toto aculei sunt, ceu corruda, & nepa: hæc enim nullum iuxta aculeum folium gerunt. Alia folijs constant aculeatis, ut acanum, eringium, cnecum: hæc enim atque similia in folijs aculeum gerunt,

runt, quamobrem folijs aculeigera dixeris. Quædam etiam itxta folium aculeatum, altero quoque folio conduntur, ut ononis, tribulus, phleus, quam nonnulli stœbam appellant. Tribulus uel semine aculeigerum constat: habet enim in semine aculeum. Qua de causa id quoque proprium ei (ut sic loquar) præ omnibus licet utique adnotare. Nam ramis quidem aculeigera, uel inter arbores, fruticesq; multa comperire potueris, ut pirum sylvestrem, málum punicam, palmarum, rúbum, rosam, capparim. Hæc in aculeatorum genere discrimina senseris, quoad notatim liceat subsignare. At eorum quibus aculeus deest, digestio nulla penitus generatim fieri potest: quippe cum foliorum diuersitas, amplitudine, paruitate, figuraq; im-
mensa incertaq; sit. Quamobrem alio modo diuidere illa tentandum profectò est. Sunt autem genera eorum complura, summisq; differentijs discreta, ut edera, me-
lothrum, rubeia, smerea, cassia, origanū, satureia, lens, salvia, marrubium, pulicaria,
apiastrum, cæteraq; similia. Atque etiam quæ minus similia sunt, scilicet quæ seru-
lacea, & neruicaulia constant, ceu foeniculum, equifœniculum, ferulago, ferulaq;
herba muralis, siue muricida à quibusdā uocata, cæteraq; similia. Hæc enim omnia,
atq; in totum, ferulaceum suffruticum naturæ addixeris. Genera uero atq; discrimi-
na, singulis hisce indicatis habentur, alijs euidentiora, alijs occultiora.

20 Ederæ, & casiae duo esse genera. De origano, thymo, sphacelo, salvia, marrubio, pulicaria,
ferula, ferulagine, mandragora, cicuta, elleboro, alboco, fœniculo, muricida.

Caput II

Hederæ namq; duo genera, mas, & fœmina. Quoniam altera maius, du-
rius, pinguisq; folium habeat, floremq; ad purpurā inclinatum: am-
babus tamen flores rosis sylvestribus proximi, uerum minores & si-
ne odore. Casiae quoq; duo genera, alia enim candida, alia nigra: can-
didæ folium modo cutis oblongum, figura quodammodo oleagineo
simile: nigræ quale tamarici carnosum. Candida magis se humili spargit, odorataq;
est: nigra odore caret. Radix ambabus, quæ alte descendit, grandis, ramisq; permul-
ti, crassi, surculosiq; ab ipsa protinus tellure, aut paulò superius sparsi, lenti admo-
30 dum constant: quamobrem hisce ad colligandum modo iunci utuntur. Germi-
nant, florentq; post æquinoctium autumni, & multum denique temporis florent.
Et origani uero genus nigrum, sterile constat: candidum, fructuosum est. Quin
& thymum candidum, nigrumq; reddunt: serò id admodum floret: nam circa
æstuum solstitium incipit. Mel apes hinc capiunt, & hoc augurio aparij constare
affirmant, an probe melletur, nec ne: etenim si aliter deflouerit, mellatio minus
probe succedet: destruitur, peritq; flos, si imber incessit. Semen fœcūdum satureiæ,
atq; etiam magis origani manifesto sentitur. Thymi nullum ostendi potest, sed flo-
ribus quodam permiscetur modo: flores enim serunt, itaq; oritur thymum. Qui
tamen Athenis deportare desiderant, querunt atque inueniunt. Peculiare tam
40 præ ijs ipsis, quam præ reliquis omnibus, uel ex locis sortiri thymum autumant:
nam quô flatus ē mari nequeat peruenire, illic nasci durareq; posse omnino ne-
gant. Qua de causa nec in Arcadia satureia, & origanum prouenire possunt.
Quanquam similia multa, multisq; in locis gignuntur. Proximum sane, quod
etiam in olea euenire notatum est. Nec enim ea trecentis à mari stadijs prouenire
posse uidetur. Sphacelus, & salvia inter se distant, quasi alterum urbanum, al-
terum genus sylvestre dixeris. Sphacelo folium leuius, cōtractius, minusq; squal-
lens: salviae scabrius. Sunt & marrubij duo genera, aliud enim folio herbido, ser-
ratori, incisurisq; profundioribus, & proinde conspectioribus discreto constat,
quo unguentarij uti ad nonnulla consueverunt: alterum rotundius, squallensq;

uehementer, sicut sphaceli, incisurasq; habens obscuriores, minusq; ferratum. Pu-
licaria mascula, & foemina constat: distant quemadmodum cætera, quæ sic diser-
ni desiderant: foemina enim tenuiori folio conditur, & compressior est, atque in to-
tum minor: mas amplior, crassioriq; caule atque ramosior, & folium amplius, pin-
givusq; habens: necnon & flore splendidior est. Ambo fructifera sunt: in totum
serotina germine, floreq; constant: quippe cum circa arcturum, & post arcturum
incipiant: Mari grauior odor, foeminæ acrior, ideoq; contra bestiarum morsus com-
modior est. Hæc igitur & similia discrepare quasi inter se sentiuntur. Sed adsunt alia
facie uniformi, tum in ijs quæ ante enumerauimus, tum in cæteris: plura nanque
proueniunt. Ferulaceum autem genus (nam id quoq; inter suffrutices est) in plu-
res species spargitur. Sed primum de eo quod commune omnium constat, dicen-
dum est, scilicet de ferula atque ferulagine: seu idem genus ambabus differens ma-
gnitudine tantum, seu etiam alterum sit, ut nonnulli putarunt. Ergo natura earum
quæ conspici possit, consimilis certe sentitur, præterquam ratione magnitudinis: fe-
rula enim grandis admodum surgit, ferulago autem humilis. Sed unicaules am-
bæ geniculatae sunt. Folia & caliculi quidam geniculis erumpunt, ac alternatim exe-
unt: folia alternatim inquam, quod non ex eadem parte geniculorum, sed permu-
tatim caulem magna ex parte amplexa, sicuti harundinea proueniunt, nisi quod
deflexa hæc magis molliue, magnitudinisq; causa: folium enim grande, molle,
multifidum, ut capillamenti modo ferè inspectetur, maximaq; terræ proxima, &
reliqua subinde ad portionem: flos mellinus, semen obscurum, anetho simile, sed
maiis, finditur cacumine, inq; stipites quosdam haud magnos dispergitur, quibus
flos, semenq; insidit: nec flore fructu ue lateales caules carent, sed modo anethi fe-
runt: annuo caule constat. Et germinatio in Vere primum foliorum, tum caulis, ut
etiam in cæteris fieri solet: radice alte descendit, eademq; singulari innititur. Talis
ferula est. Ex reliquis autem quædam huic proximiora caule constant, ceu man-
dragora, cicta, elleborum, albucum: quædam ueluti neruicaulia sunt, ut foenicu-
lum, muricida, & eiusmodi reliqua. Fructus mandragoræ peculiaris, quod niger,
racematus, uinosusq; suo sapore sentiatur. Sed præclara summeq; peculiaris natu-
ra laserpitiæ, & papyri Aegyptiæ: nam hæc ferulacea constant, & de papiro inter 30
aquatiles prius retulimus.

De laserpitio, magydari, quidq; differant inter se: item de nepa, corruda, siue asparago, & que aca-
nacea sint: de herba lanaria, sonco, cneco, acarna, spina candida, æraria, aculeosa, fuso agresti,
buxo asinino, carduo pinea, uernilagine.

Caput III

LElaserpitio nunc indicandum est. Laserpitio radix multa, crassaq;: cau-
lis quantus ferulæ, & crassitudine ferè proximus: folium quod maspe-
tum uocat, apio simile est: semen latum, foliaceum, scilicet quod folium
appellatur: caulis annuus sicut ferulæ. Ergo Vere ineunte maspetum
hoc exit, & pecus eo purgatur, pinguiscitq; uehementer, & carnes mirabilē in mo-
dum suaves reddūtur. Post hac caulem ædit hominum cibo idoneum omnibus mo-
dis, elixum, assumq;: corpora eo quoq; purgari ferunt. Quadraginta diebus succus
capitur duplex, alter ex caule, alter ex radice: qua de causa alterum scaparium, alte-
rum radicarium uocant. Radix nigro cortice tegitur, eumq; detrahere solent. Sunt
ueluti certæ mēsuræ cædendæ radicis, quibus quantū conferre putetur ad futuram
cæsuram reseruātes, reliquū absindūt. Nec enim deuie, neq; plus cōstituto cædere
licet: corruptitur enim putreficitq; si diu mansit. Præparant id, conficiuntq; in Py-
räum portū aduectū hoc modo: Cum in uasis cōicerint, farinamq; admiscuerint,
quatiū longo spatio tēporis: hinc etiā colorē capessit, & cōditum iam incorruptum
perdurat.

perdurat. Præparatio, cæsuraq; ita se habet. Locum Africæ amplum occupat, am-
phorem, quām quatuor stadiorum millia in hortis Hesperidum ferūt: sed maiorem
partem colligi apud Syrtes. Peculiare huius culta fugere loca proditur, quā obrem
si colatur, mitescatq; solum, deuiat, atq; omnino degenerat, utpote natura culturæ
aspernās, ferocitatisq; constans uernaculum. Cyrenēs annis septem prius, quām
ipsi urbem habitarent, laserpitium extitisse affirmant: habitant uero annos maxime
trecentos usq; ad Simonidæ Athenis magistratum, Illi sic referunt. Alij radicem la-
serpitij cubitalem fieri tradunt, aut paulò maiorem: hanc in medio extuberare in ca-
put, quod sublime penitus extat, ut ferè super terram esse appareat: unde primum
10 quod lac appellat, erumpit, dein caulis assurgit, ex quo magydaris, & quod folium
dicitur, exeunt. Folium id semen est, quod cum austera ingenua post caniculam fla-
uerit, discutitur, atq; ita laserpitium nascitur, eodemq; anno radix consummatur, &
caulis. Sed hochaud quicquam peculiare notetur, nam alijs quoq; idem tribuitur:
ni dixeris, quod discussum id protinus nasci potest, ortum peculiarem sortiri, su-
pradicisq; propterea diuersum accipi posse. Ad hæc circumfodiēdum id annum
censem: nam si relinquatur semen omne, caulemq; totum proferri, & deteriora-
tam hæc, quām radicem reddi existimant: defossa autem fieri meliora scilicet solo
subacto, beneq; gluto. Sed huius contrarium illi uolunt, qui culta recusare id in-
quiunt. Mandi quoq; radices in aceto recens decisas referūt. Folium colore aurum
20 æmulatur. Contrarium etiam quod pecora folio esitato purgari minime indicant.
Nam & Vere, & hyeme, pecus ad montem dimitti affirmant: cibus nō solum hoc,
sed etiam altero quodam abrotono simili administratur. Vim ambo calefactoriam
sortiri plane uidentur, & purgare quidem nequaquam ualere: exicare autem, &
concoquere unice posse. Quod si qua pecus ægrescens, aut aliás minus bene se ha-
bens ingressa sit, mox eam sanari, aut emori aiunt, sed magna ex parte posse serua-
ti. Hæc igitur utro tandem sint modo, quaerendum. Quod uero magydarim uo-
cant, nimirum à laserpitio differt: tenerius enim, minusq; uehemens id sentire, &
sine lasere est. Necnon & aspectu manifesta experto homini cōstat. Nascitur in Sy-
ria: nam apud Cyrenam, & monte Parnaso large prouenire eandem affirmant,
30 Sed quidam laserpitium id appellant. An culta id quoque modo laserpitij fugiat,
quaerendum. Quin & si quid simile, aut proximum habeat, ad folij, caulisq; ratio-
nem, & si quam ullo pacto emittat lachrymam, id inuestigandum. Ergo naturam
ferulaceam, hisce cōtemplari oportet. Aculeatae uero sequitur, ut hoc exponamus,
quoniam distinctum superius sit, aliud totum esse spinosum, aliud spinosum folia-
tum, seorsum de utrocq; dicendum: atq; tertium illud addendum, quod iuxta acu-
leum folium gerit. Phleus enim, tribulus, capparisq; peculiare nimirum obtinent,
ut non solum caulem aculeatum, sed etiam folium habeant hispidum. Inter ea ue-
ro distincta genera, plurimum quod aculeato folio cōstat, nimirum dixerim: quod
ex toto spinosum inspicitur, exiguo, id est numero, quemadmodum diximus. Et dif-
40 fuscile quicquam fermè inueniris, præter corrudam & nepam, quæ post æquino-
ctium autumnī florescunt. Nepa enim florem in carne extuberante sub extremo
aculei profert initio candidum, postea leuiter accedentem ad purpuram. Corru-
da propter aculeos pusillum quandam producit peciolum, ex quo flosculus tan-
dem ipse erumpit. Nepa radice singulari, eademq; breui adhæret. Corruda radice
large alta, numerosa, eademq; tam crebra innititur, ut pars superna radicum tota
connexa, & continua reddatur, ex qua uel ipsorum caulium factitatur prouen-
tus. Exit caulis de corrudagine Vere, ciboq; idoneus est: deinde durescit, flore-
scitq; in dies: flos non solum ex hoc, uerum etiam de primoribus emergit cauli-
bus. Hæc annuo constat caule. Igitur quæ spinosa in totum sunt, naturam eius-

modi obtinuerunt. Illorum uero quæ folio constant aculeato, genus (ut sic loquar) magna ex parte acanaceum est: acanaceum inquam, quoniam conceptus, & id cui flos inheret, aut etiā fructus, spina, uel spinaceum quicquam sit. Sed differunt inter se magnitudine, figura, colore, multitudine, paucitateq; spinarum, reliquarumq; rerum, exceptis tantū admodum paucis, ceu herba lanaria, sonco, & si qua sint alia. Reliqua (ut ita loquar) omnia eiusmodi sortiuntur naturam. Nam & cneum natu-
ra spinosa est, quanquam discrepat semine. Verum hæc omnia eiusmodi sunt, acar-
na, spina candida, æraria, cneum, aculeosa, fusus agrestis, buxus asininus, carduus
pinea, uernilago: hæc tamen non aculeatis folijs constat. Carduus etiam nimirum
eiusmodi folijs est, & beta sylvestris, & alia plura huiuscmodi percipiuntur. Sed præ
ter ea prædicta discrimina, distant inter se, quod alia multis constant caulis, ra-
mosq; fundunt, ut cneum: alia superne cacumine tantū sparguntur, quemadmo-
dum rhutrum: & alia protinus primis imbribus germinant, alia pōst: nonnulla etiā
æstate, ut quæ tetralix à quibusdā uocata est: & carduus pinea pari modo, & flores
differentiā faciunt. Carduus enim pulchre, diuīq; floret. Acarnis differētiæ nō sunt.

De cneco sylvestri, eiusq; generibus, ac de acarna iterū, & fuso agresti, carduoq; & carduo pinea:
de cacto etiam, quæ tantū in Sicilia nascitur. Tum eorū quæ spinosis folijs constant, iuxta aculeum
quædam folium gerere.

Caput IIII



Necum sylvestri, urbanoq; discernitur: sylvestris genera duo nota-
tur, alterum urbanum admodum simile, recticaulius tamen, quamob-
rem ex eo mulierum priscarum nonnullæ colu utebantur: fructum
nigrum, maiuscum, amarumq; parit. Alterū genus densum cōstat,
caulesq; soncos profert, & quodammodo humicaule fit. Nam pro-
pter foliorum mollitiam declinatur, procumbitq; ad arua. Fructum amarum, fre-
quentem, barbaq; modo hirsutum gignit. Sunt ambo seminosa, uerum sylvestre
copiosius fert: eius peculiare præ alijs sylvestribus est, quod illa duriora, spinosio-
raq; urbanis proueniunt: hoc autem, mollius, ac leuius constat. Acarna quoad sim-
plici ratione exprimi licet, aspectu cneco urbano similis est, colore flauicans, succo
pinguis. Fusus agrestis his candidior est, habetq; peculiare, quod in folijs euénit: de-
cerpta enim, carniq; allata, succum sanguineum effundunt: qua de causa φόνος,
id est, crux à quibusdam spina est hæc nominata: grauis etiam odore, crux enimq;
repræsentans, serò perficit fructum. Autumno enim & quidem in totum (ut sum-
matim proponam) uniuersa spinaceorum natura fructus, serotina existit. Hæc au-
tem omnia tam semine, q; radice proueniunt, ita ut breue quoddam, inter ortum,
& seminum perfectionem labatur spacium temporis. Cardui non solum peculiare
illud notatur, quod radicem uescendam tum decoctam, tum crudam obtinuit, sed
etiam quod eandem optimam habet cum florescit, quodq; radix durescēs lacteum
succum emittit. Floris quoq; prouentum peculiarem putaueris: etenim circa solsti-
tium incipit: carnosam, ciboq; idoneam partem crassescētem sortitur. Ortus autem
eius non spinosus, sed oblongus fieri assolet: quod propriū habent tantū, in eorum
genere, quæ folijs constant aculeatis: è diuerso, quām uermilaginem, habere uide-
mus. Illa enim tametsi non aculeato folio constat, tamen acarni speciem gerit: sene-
scensq; flos, in lanuginem, papum uocatam, conuertitur, modo laurini, myrtini,
& cæterorum generis eiusdem. Pergit hæc ad æstatem usque, aliud parturiens,
aliud florescens. Semen illud humoris aliquantulum continet, aculeoq; armatur.
Folium cum arescit, remittitur, nec quicquam amplius pungit. Carduus pinea
haud multis prouenire in locis potest: est ab radice foligera, qua de media semina-
lis acanus, ueluti mālum exuberat: folijs nimirum occultatus. Hic lachrymam
iucundi

iucundi saporis parte profert postrema, quam spinalem masticham uocat. Hæc igitur eiusmodi genera omnibus ferè terris possunt comperiri. Quæ autem Cactus nuncupata est, in Sicilia tantum nascitur, Græciæ nusquam habetur sui generis plan ta; hæc enim statim ab radice caules repentes in terram mittit, folio lato, atq; spinoso. Caules hos cactos appellat: desquamati cibo idonei sunt, paulò amaricantes, & reser uare eos aqua salsa conditos cōsueuerunt. Alium uero caulem erectum producit, quem pternicem uocant, is quoq; cibo aptus excrescit, sed reseruari nō patitur: fructus in quo semen, spinata specie est, uerū exemptis lanuginosis seminibus, is quoq; uescēdus relinquitur, & cerebro palmae similis est, Scaliam eum appellat. Ergo quæ spinosis folijs constant, differentijs eiusmodi persequi congruum est. Quædam ue ro folium iuxta aculeum gerunt, ut phleum, inturis, ononis, tribulus, lapago, spianurilis, alia pleraq;

De phleo, inturi, id est cappari: de tribulo, eiusq; duobus generibus: deq; ononi, herba aculeigera.

Caput V



Hleum folio cōstat carnosum, multifidum, multistirpisq; est, nō tamen alte descēdit: germinat cum uergilijs, primoq; aratro unā, nec folia id dimittit. Nō enim annuū, sed diuturnius est. Inturis præter prædicta, peculiare (ut retulimus) habet, quod & folium, & caulem gerit subhispidum, nec phleum, & lappaginem æmulat, quæ folijs mitibus constant: unistirps, humile, humicaule est: germinat, floretq; æstate, & folium usq; uergilijs uiride perdurat. Gaudet locis arenaceis atq; tenuibus: cultis haud quicquam exire dicitur, cum apud oppida, & loca plana proueniat, non laserpitijs modo apud montuosa: hoc igitur minus uere putarunt. Tribulus uero peculiare sortitur, quod fructu aculeigeru constat. Eius duo genera sunt: unus enim folio ciceris exit, alter spinosus, foliatus constat: ambo terreni, atq; multifidi sunt: serius germinat, qui spinosus folijs est, & apud septa uillarū is solet erumpere. Semen præcoquis, sesamæ uicinum: serotini rotundum, nigricans, septum in siliqua. Atq; ea quidem, quæ folio quasi orbantur, spinamq; gerunt, hisce ferè constare animaduertimus. Ononis ramis aculeigerum est, anno tantum perdurans: folio rutæ similis, sed per totum apposito caulem, ut ueluti coronam ex interuallis tota species repræsentet: florem minutulum, & in siliqua non undiq; septum aedit. Nascitur lento, plenoq; solo, & præcipue in segetibus, atq; cultis: qua de causa agricolis inimica exit. Viuax admodū est: cum enim altam nausta tellurem fuerit, protinus sua infima pellit, & singulis annis, surculis in latus emissis, rursus anno postero deorsum uersus pellere solita est. Effodienda tota, extirpandaq; penitus est, quod solo madefacto agendum: sic enim facilius interit: nam si uel paruulum relinquatur, ex hoc assurgere iterum potest. Incipit germinare æstate, perficitur autumno. Ergo sylvestre genus suffruticum intelligere ex his licet.

De suffruticibus urbanis, & coronarijs: de viola nigra, & rosis, & earum differentijs.

Deq; lilio, narcisso, croco.

Caput VI



Rbana uero angustam quādam obseruationem obtinuere, siquidem numero tantum consummentur coronariorum. Quamobrē in uniuersum de coronis indicare tentandum est, ut genus amplecti totū possimus. Enimuero ratio coronariæ naturæ ordinem quendam sortitur propriū, sed ita ut partim suffruticibus sit, partim herbaceis permista: quapropter comprehendere illa quoq; debemus, mentionem utiq; faciendo, quoad opportune fieri possit, sumpto à suffruticibus initio. Diuidi autem hæc bifariam exi gunt, ratione scilicet usus: aliorum enim flores tantum usui sunt, & eorum aliis odos

ratus, ut uiola: alius sine odore, ut Louis flos, flamma. Aliorum etiā rami, folia, & in totum uniuersa natura odorata sentitur, ut serpylli, helenij, sisymbrij, & aliorū quo rundam: sed utrunq; genus annumerandum suffruticibus constat: necnon & illorū florigerorum natura magna ex parte suffruticea est, alia annua tantū, alia diu- turnior, uiola nigra excepta. Hæc enim ramulis caret, sed ab radice foliata cōstat, & perpetuò uiret: utiq; aliqui ferūt, etiā florem semper promere potest, si modo quo- dam colatur. Id igitur propriū ista sortiantur. Reliquorum autē uel potius omnium totæ quidem formæ ferè omnes perspicuæ sunt: quamobrem si quas alias habeant proprietates, hasce exponamus, oportet. Quippe alia simplici specie constare, alia differentijs uariari uidemus. Simplicia quæ lignosa, ut serpyllum, sisymbrium, hele- nium: præterq; si alia sylvestria, alia urbana, & alia odorata, alia minus odorata exi- stant, quorum quidem & cultura, & terra diuersa est, atq; etiam cœlum diuersum. Quidam uero ex floribus nulla parte discerni possunt, ceu uiolæ nigræ: hæc nanq; differentiam nullam habere uidetur, quanquam albæ nimirum habeant: colorem enim earum uariari liquidò patet, atq; etiam magis liliorum: siquidem (ut aiunt) ne purpurea quidem lilia desint. Rosarum autē differentiæ permultæ, foliorum mul- titudine, paucitate, asperitate, leuitate, colore, odore. Quippe cum plurimis quina folia sunt, quibusdam duodena, uicenāq; alijs longè plura: sunt enim quas centifo- lias uocat quæ circa Philippos plurimæ exeunt, easq; incolæ ex Pangæo transferen- tes serunt: illuc enim multæ eiusmodi fiunt. Sed folia interna parua admodum sunt, ita etenim oriuntur, ut alia intus, alia extrâ emicent, non tamen iucundi odoris, nec amplæ magnitudinis sunt: odoratores inter amplas, quibus pars imâ scabra. Ad summam (ut dictum est) & odoris, & coloris præstâtia, locorum ratione contingit; nam & quæ in eadem tellure proueniūt, diuersitatem bonæ, exilis ue olentiae, nul- lam ostendunt. Odoratissimæ, quæ apud Cyrenam gignuntur, & proinde unguen- tum iucundissimum illuc faciūt. In plenum uero, & uiolarum, & reliquorum florum odores ibidem synceri præcipue sentiuntur. Nascitur rosa etiā ex semine, quod flori subditum suo in mālo contentū cneceum, uel acanaceum lanugine quadam obdu- ctum gerit, ut primis seminib; proximum sit. Cæterum quoniam tarde perficitur semine, sata caule cōciso (ut dictum est) serūt. Vista, recisa uel florem melius profert: relicta nanque excrescit, sylvestritq;. Sæpius transferre eam satius est: sic enim pul- chriorem effundi rosam affirmant. Sylvestres, asperiores tum uirgis, tum folijs con- stant, & florem minus odoratum, minusq; coloratum, nec tantundem magnitudi- ne ferunt. Viola nigra distat ab alba tum aliorum quorundam, tum plantæ ratione ipsius, quod latifolia, humilifolia, carnifolia extet, & radice multa cohæreat. Lilia co- loris supradicta differentia inter se distant: unicaulia in uniuersum ferè assurgunt, bicaulia raro: quod cœli, terræq; rationi fortassis attribuēdum est. Singulis caulis aliâs unum lilium, aliâs plura exeunt: pars enim postrema effundit: sed hæc rariora. radice copiosa, carnosa, orbiculataq; adhæret: fructus detractus germinat, & lilium reddit, uerum minus: facit & lachryma cæcum quoddam confluuium, quod etiam serunt, ut dictum est. Narcissus, uel lirium (aliij enim hoc, aliij illo nomine uocant) fo- lium albuci terræ proximum gerit, sed longe latius, modo liliij: habet caulem sine fo- lio herbaceum, florem suo ferentem cacumine, in membrana ueluti uasco inclu- sum, large amplum, coloreq; nigrum, figura oblongum: hic decidens sponte ger- minat: cæterum & qui legūt defigere eum solent. Quin & radicem serunt, quæ car- nosa, rotunda, amplaq; constat. Serotinus admodum: post arcturum enim & circa æquinoctium floret. Crocum natura herbaceum modo prædictorum erumpit, sed folio angusto ferè, nanq; in capillamenti modum foliatur: serò floret, seroq; germi- nat, aut præmature, utro scilicet modo tēpus acceperis: floret quippe uergiliarum occasu,

occasū, paucisq; diebus, confestim uero cum folio florem quoq; expellit, quinimō prius. Radix multa, carnosa, in totumq; uiuax: gaudet calcari, & melius ita euadit, radice attrita pede inferius, ideo iuxta semitas, fontesq; pulcherrimum exit: satus rā dice fieri afolet. Hæc in hunc modum proueniunt. Reliqui autem omnes prædicti flores semine exeunt, ut uiola, Iouis flos, iphyum, flammula, elium: nam & ipsa, & eorum radices ligno nimirum constant.

De enantha, abrotono, sansuco, serpylo, sisymbrio: tum qui flores uerni, qui aestivi, qui autumnales: & de uiolæ, ac rosea uita: tum de myrto ægyptia miri odoris. Caput VII



Enanthe quoq; semine obsereda est, nec enim hæc excludi à floribus debet. Ergo quæ dicata floribus sunt, hisce atq; similibus penè accipi debent, reliqua & florem & semen omnia ferunt: quanq; non omnia ferre putantur, quod fructus quorundam haudquaq; manifestus exi stat. Nam & flos nōnullorum incertior est. Quinetiam quod lentius, difficiliusq; seminata perficiuntur. Planta propterea uti potius cōsueuerunt, quod uel inter initia proposuimus. Quanquam sunt qui ea omnino fructu carere aſſue rent. Sæpe enim exiccata, tritaq; seruisse se inquiūt, sed nūquam germen erupisse, nec serpylli, neq; helenij, necq; sisymbrij, neq; mentæ: nam huius quoq; periculum se fecisse affirmat: attamen illud uerius est. Necq; desunt qui uel hæc experti fuerūt, & natura ipsa sylvestrium planè attestari uidetur: serpylli etenim sylvestre etiam genus est, quod deferētes ex montibus ferunt, ut apud Sycionem fieri solet, atq; etiam Athenis ex monte Hymetto: apud alios uero, ut in Thracia, mōtes & plana omnia serpylo scatent. Sed sisymbrio, reliquisq; odor acrior est. Serpyllus apud nōnullos etiam thymum penitus redolet. Cōstat ergo quod omnia sui ortus primordium ex semine capiūt. Sed abrotonū radice, aut auulione potius quam semine germinat, semine enim difficulter exit, & hoc testis antea uiuicardicis causa intimato, quemadmodum Adonidis hortulos emoliuntur. Seritur aestate: friget enim uehemētissime atq; in totum morbo obnoxium est, etiam ubi sol uehementer illucet. Sed cum con ualuerit, creueritq; magnum, robustum, atq; arboraceum cōstat, quemadmodum ruta, nisi quod hoc lignosius, & siccarius, & squallidius est. Sansucum utroq; modo emigrat, uidelicet & semine, & auulione: præstat seminis copia, & iucundi odoris semen est, & quidem mollioris odoris: necnon & planta eius trāferri potest. Abrotonum quoq; semine abundat, nec sine odore est, sed id radices rectas, altasq; agit: est ueluti unistirps, crassa scilicet illa radice: reliquis uero de ea exētibus spargitur, quod non sansuco, nec serpylo, nec sisymbrio, nec helenio datum est: hæc enim in summo terræ adhærēt, radice multifida torridaq;. Radices omnes lignosæ sunt, sed longe magis abrotoni, magnitudinis, siccitatisq; causa. Serpylo peculiaris auctio germinum: quippe cum in quantumuis longitudinis procedere ualeat, nactū scilicet adminiculum, aut iuxta sepes aliquas satum: crescit præcipue in puteis. Genera urbana reddere nō est, ut retulimus: ferocia esse affirmant: hunc enim in montibus tum satureiatum quendā atq; uehementissimum, tum gratum odore, mollioremq; comperiri. Tempus ferendi plurimum autumnus: hoc enim primum ferere nimirum properat. Cæterum & Verē nōnulla serūtur. Omnia autē umbram, aquam, simumq; unice amant. Serpyllum squallorem patitur, atq; in totum aquæ pauca indigum est: sed simo præcipue gaudet, & iumentorum potissimum. Transferendum quoq; id sæpius censem: melius enim sic redditur. Sisymbrium uero & degenerat facile, nisi transferatur, ut dictum est. Florum prima uiola alba se ostēdit: emitat ubi cœlum clemētius statim, etiam nondum hyeme exacta: ubi uero immittius, postea. Vere nōnunquam cum uiola alba aut raujō postillum exit, & quæ uiola

flammea uocatur, sylvestris dūtaxat. Hæc cæteris omnibus, quibus coronarij utuntur, longe præcurrūt. Post hæc narcissus, & lirium exeunt. Ad hæc bulbi flos, quidam enim coronis hunc etiā inserunt. Sequitur uitiflora, & nigra uiola, & ē sylvestribus aurelia, & genus fremij, quod limonium uocant, & pugio, & hyacinthus: & quibuscumq; ferè alijs montanis utuntur. Rosa senior hisce est, & nouissima quidem erumpit: prima autem inter uernos definit flores, parum enim temporis durat eius prouentus. Nam & reliqua in sylvestrium genere parum durant, excepta hyacintho, tam sylvestri quam urbana: hæc enim plurimum durat. Adde uiolam albam, atq; etiam magis flammeam. Nigra (ut dictum est) per annum durat, si cultus adhibetur. Eodem modo uitiflora: nam ea quoq; addicta floribus est, naturaq; 10 herbacea cōstat. Si florem atteras, auferasq; nec seminescere sinas, nec solum desit apricum, durare plurimum potest: flos specie constat racemi, candidusq; est, ut labrusca. Hæc igitur uerna potius esse uidetur. Aestiva autem, lucernula, iouis flos, cerinthus, iphyum, sanscum, phrygium. Item quod desyderium uocant, cuius genera duo sunt: unum cui flos hyacintho similis, alterum decolor, album, quo in se pulchris uti mos est, & diuturnius uero id ipsum est. Floret & consecratrix aestate, & lanaria dicta, flos aspectu pulcher, sed caret odore. Lirij alterū genus, & crocum tam montanum, quod exors odoris est, quam satiuum, autumno florere incipiunt: statim enim primis imbris florent. Quin & sylvestrium genere spinæ acutæ fructu, & ederæ ciliciæ flore utuntur. Temporum quidem ratione, ordinem hunc singulorum ortus sortiri animaduersum est, sed quoad plenius dici liceat, nullum intermittitur tempus, nec ipsa hyems flore uidua est. Sed hæc etiam, quanquam gelu infœcūda apparet, flosculos tamen habet scilicet autumnalibus prorogatis. Quod si hybernum tempus clementius fuerit, longe magis ita continget: etenim quoad absolute liceat loqui, maior pars florum uel ultra tempus sibi accommodatum prostrahi potest, & si loca aprica sint, magis id evenit: ex quo fit, ut perpetua florum continuatio agatur. Tempora hæc generationum notantur. Vitæ uiolæ albæ anni maxime tres: senescens diminuitur, candidioresq; assidue flores fert. Rosæ quinquenium ad uigorem scilicet, non adustæ, necq; recisæ. Sed eius quoq; flores senescentis deteriores redduntur. Ad iucundam autem olientiam, & rosarum, & uiolarum, & reliquorū florum, solum cœlumq; singulis accommodatū plurimum cōfert. Nam in Aegypto cætera quidem omnia sine odore floreç; etiam aromata dicta sentiuntur: myrti uero mirum in modum odoratæ assurgunt. Prouenire ante hæc nostra, & rosas, & uiolas, & reliquos flores tractus illius, etiam binis mensibus plusq; durare haud hoc breuiori tempore aiunt. Videntur & annus (ut diximus) ad bonā olenitiam referre, cum scilicet talis, aut talis incesserit: non imbrium squallorumq; tantū ratione, sed etiam quium tempus certum, & aquæ, & flatus, & in totum cœli commodæ mutationes accessere. Montibus autem (ut simplici transigam ratione) & rosæ, & uiolæ, & reliqui omnes flores, odore longe deteriores emergunt. Atque coroniorum, & in totum suffruticei generis commentatio, hisce similibusq; absoluītur.